

Dominum eum et Christum Deus fecit.

Léctio Actuum Apostolorum

2, 14a. 36-41

In die Pentecóstes,
^{14a} stans Petrus cum Undecim
levávit vocem suam et locútus est:

[14b-35]

³⁶ «Certíssime sciat omnis domus Israel
quia et Dóminum eum et Christum Deus fecit,
hunc Iesum, quem vos crucifixístis».

³⁷ His audítis, compúncti sunt corde
et dixerunt ad Petrum et réliquos apóstolos:
«Quid faciémus, viri fratres?».

³⁸ Petrus vero ad illos:
«Pæniténtiam, inquit, ágite,
et baptizétur unusquísque vestrum
in nómine Iesu Christi
in remissionem peccatórum vestrórum,
et accipiétis donum Sancti Spíritus;

³⁹ vobis enim est repromíssio
et filiis vestris et ómnibus, qui longe sunt,
quoscúmque advocáverit Dóminus Deus noster».

⁴⁰ Aliis étiam verbis plúribus testificátus est
et exhortabátur eos dicens:
«Salvámini a generatióne ista prava».

⁴¹ Qui ergo, recépto sermóne eius, baptizáti sunt;
et appósitæ sunt in illa die ánimæ círciter tria mília.

Verbum Dómini.